DISSERTATIO

IVRIDICO-MORALIS

In fauorem Regularium.

An fruantur priuilegio suscipiendi Ordines Sacros extra tempora à iure statuta.

DVbitatum est diù, An Regulares fruantur priuilegio, quo valeant Sac.Ordinibus initiari extrà tempora à Iure statuta. Ex dubio orta est opinio ob multitudinem Canonistarum, & Casuistarum prò vtraque parte in dies scribentium, negatiuè verò parti aliquid roboris contulit quorumdam apud Episcopos suggestio. Pro parte tamen affirmatiua.

DICO I.

Ante Concilium Tridentinum Regulares fruebantur supradicto Priuilegio.

IN huius asserti probatione neutiquam est immorandum, est enim indubitatum apud omnes Priuilegium hoc concessum fuisse PP. Congregationis Sancti Hieronymi ab Alexandro IV., & ab alijs Pontificibus Ordini S. Benedicti; Inter quos Alexand. VI., qui in Constitutione data Romæ apud Sanctum Petrum 20. Nouembris 1492. Pontificatus anno primo, quæ seruatur in Archiuio Sublacensi, & incipit *Ex Apostolicæ Sedis prouisione*, vbi num. 3. habet hæc verba = *Nec non Monachi præfati à quibuscumque Catholicis Antistitibus, vel Archiepiscopis, vt præfertur, ad dicta Monasteria pro tempore, ex quauis causa declinantibus, ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines aliquibus diebus Dominicis, & festiuis (etiam extra tempora à iure statuta) se promoueri facere eisdem Antistitibus, vel Archiepiscopis, vt Monachos huiusmodi, vt præfertur, promouere liberè, & licitè valeant, eisdem auctoritate, & tenore licentiam, &*

facultatem concedimus, eisque pariter indulgemus. Non obstantibus &c. (1) Omnia autem Cassinensibus impartita priuilegia, inter quæ numeratur præfatum, immediatè confirmata fuerunt à Pontificibus, qui Alexand. VI. subsequuti sunt, atque Concilij Tridentini confirmationem antecesserunt, videlicèt Iulius II. 1. Decembris 1504. In Bullario Cassinensi Constitutione 114., quæ seruatur in Archiuio Sancti Petri de Perusia. Item Leo X. 26. Martij 1517. in Bullario Cassinensi C. 126. estque in Archiuio S. Benedicti de Padolyrone. Item ejusdem 1. April. 1519. In Bullario Cassinensi C. 126. in Archiuio de Padolyrone. Item Clemens VII. 15. Octobris 1531., & numero 2. confirmat Priuilegia Alexand. VI. Bullario Cassin. Constitut. 147. seruatur in vltimo supradicto Archiuio. Item Paulus III. 5. Nouembris num. 4. confirmat priuilegia Alexand. VI. In Archivio vltimo citato. Paulus IV. 26. Maij 1555. anno 8. ante confirmationem Tridentini (sublata clausula *quatenùs sint in vsu*) Bull. Cassin. C. 171. ex Archiuio S. Ioannis de Parma confirmat prædicta Priuilegia. Sed omnes Regulares tàm Clerici, quàm Monachi, quàm Mendicantes prædictorum Ordinum priuilegijs fruebantur, & vsi sunt; quia illorum priuilegiorum participationem alijs Ordinibus concesserunt, & comunicarunt Alexand. IV., Sixtus IV., Iulius II., Leo X., Paulus III., Pius IV. his = *Omnia, & singula priuilegia, indulta, indulgentiæ, facultates, gratiæ, exemptiones &c. vni Ordini concessa, vel concedenda, aut pluribus Ordinis Domibus à Summis Pontificibus omnibus, & singulis concessa intelliguntur*. Hæc autem communicatio dixit *Rota decis. 8. num. 5. par. 2.* (demptis priuilegijs Altarium, & locorum determinatorum, nec non indulgentiarum pro Sæcularibus) cætera omnia Priuilegia censentur in specie concessa (2) illis Ordinibus, quibus fit communicatio, ergo cum inter illa priuilegia numeretur supradictum de Ordinatione, constantissimè inferendum Regulares eodem indistinctè vti posse, sed quia Aduersariorum vis in hoc sita est, quod fuerit per Concil. Tridentinum abrogatum. Ideò

DI-

(1) *Tom. 1. Bullarij Cassinens. Constitut.* 106.
In Compend. Priuilegior. Mendican. tit. Ord. Sacri §. 8. §. *fin.*

(2) *Io: de la Crux de stat. Religion. lib. 2. cap. 4. dub. 1. & 3., & cap. 8. dub. 1. &c.*

DICO II.

Priuilegium de quo supra non fuit abrogatum per Concilium Tridentinum.

ASsertio hæc verior adiudicanda est ob Doctorum in ea conspirantium numerum, eique enim adhærent (1) & ob rationum, quibus firmatur momentum,& quia totum contrariorum robur,ex abrogatione à Concil.Trid.facta consurgit ob *Textum cap.8.sess.23. de reformat.* vbi habet. *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à iure temporibus publicè celebrentur*. Ideo dico. Lex generaliter loquens non abrogat priuilegium eà super re concessum, de qua lex generalis disponit, vt docent (2) sed Concil. Trid. superallegatis verbis loquitur generaliter, nullam adijciens clausulam priuilegiorum dero-

(1) *Ambros.à Spiritu Sancto disp.5.sect.3.n.147., Andreas à Matre Dei tr.8.cap.4.punct.5.n.85., Auersa. Barbosa de offic. Episcopi alieg. 17.n.6.par.2., Basseus Tom.1.flor.Teolog.verbo Ordines nu.5., Castropal. tract.27.disp.vnic.punct.13.nu.3., Diana par.3.tr.2.de dub.regular.resol.31., Donatus prax.regular.promouen.ad* Ord.*tom.3.quæst.26.Eman. Roderic.tom.3.qu.23., Giribald. discept.7.Sacra.part.2. tract.9.dub.5. Herinex.par.4.Sum.Theol.disp.10.de ordine num.8., Hieron.Roderic.in Compend.quæst.106., Homobonus de Exa.Ecclesiast.tract.20.cap.3.dub.1 Leander.Philiber.Marchin.de Ord.par.1.cap.10.nu.148., Moneta de commut.vlt.volunt.cap.10.n.148., Nouarius in luc.regul.ver. Ord.n.10., Passerinus de stat.hom.to.1.art.1.nu.189., & tom.3.qu.189.art.10.nu. 831., Pax Iord.lib.3.tit.6.de S.Ord.nu.418.428., Portell.dub.regul.ver. Sac.Ord.n.4., Rosignol.Rotarius Theol.Reg.de Sacr.tom.3.lib.1.part.13. n.7., Salmanticenses.Tom.2.Theolog.moral.de Sacr.in gen. tract.8.cap.4. punc.5.n.82.83.84.85.citantes alios, Sannig.de temp.ord.c.5.n.2., Thomas à S.M.à Mend.in collect.Sacram.to.3.par.3. de ord.select.2. dub.3. dif.vn.n.3.part.vlt., Villalobos tr.3.de Ord.dif.12.in fin.dif.13.n.3.*

(2) *Bartol.super const.ad reprim.§.leg.num.11., Anastas.Germon. de Indul.Card.in §.per quam sublatis num.69.73., Iason.in l.1.num.9.ff. solut.matrim., Decius.in reg.in toto iure n.8.ff.de reg.Iur., Felin,in cap.1. num.10.de rescript., Oldradus cons. 266., Mellis in rep. v. priuil. inf., Anton.Gabriel.de leg.Concl.1.num.3., Mendos.reg.4.Cancell.qu.7.nu.5., Barbosa in l.1.ff.solut.Matrim.par.1.nu.5., Archidiacon. Can. renouantes num.6.distin.22., Card.cons.6.infra. Glossa in cap.1., & cap.nonnulli de rescrip., & in l.3.cap.de Silentiar.& decurion., Castropala tr.3.disp.4 punct.21.§.4.num.10., Salas disp.17.sect.14.num.47., Bonacina disp.1. qu.3.punct.8.§.3.num.15., Basilius lib.8.cap.19., Suarez de Relig. lib.8. cap.39.num.2., Martinez.lib.5.recompil.tit.11.l.8.glos.12.n.6.& 7.*

rogatoriam, nec in genere, nec in specie, erg. &c. prima propositio infra demonstrabitur, secunda verò aperte patet consideranti singula Tridentinæ Sinod. Capita, vbi de Regularibus loquitur, ibi enim in aliquibus Locis, vbi vult derogare, ponit particulam derogatoriam, vbi verò non vult derogare, illam non ponit, vbi autem derogat nullo modo loquitur de Ordinatione extra Tempora. Nam

1. *Sessione* 5. *cap*.2. *Concil.* Subijcit Regulares Episcopis, quantum ad Conciones, & quæstuationes, & dicit priuilegijs quibuscunque non obstantibus, & idem replicat quantum ad Concionatores. *Sess*. 24. *Cap*.4.

2. *Sess*.6. *cap*. 3. Subijcit Regulares Episcopis quoad excessus extra Claustra, etiam sui Ordinis priuilegijs prætextu.

3. *Sess*.7. *cap*.7. Subdit Curatos Regulares visitationi Episcopi, & ait priuilegijs, ac exemptionibus minimè suffragantibus = *& cap*. 14. *eiusdem Sess*. Regularium Causas Ciuiles extra Monasterium degentium subdit cognitioni Episcopi, Priuilegio, exemptionibus, & Conseruatorum deputationibus nequaquam valituris.

4. *Sess*.14. *cap*.2. *de reformat*., vbi loquendo de Episcopo Ordinante quamuis etiam Regularem sine sui Prelati expresso consensu, subdit vigore cuiuscumque Priuilegij.

5. *Sess*.21. *cap*.8. *de reformat*. licet Episcopis visitare Ecclesias Regularibus subiectas, dummodo illorum Ministri sint Sæculares, priuilegijs, & consuetudinibus non obstantibus.

6. *Sess*.22. de Obseruandis, & euitandis in celebratione Missarum, incidenter loquens de Regularibus, ait pro omnibus dare facultatem Ordinarijs procedendi contra inobedientes, non obstantibus priuilegijs &c. = *& Cap*. 4. *eiusdem Sessionis*, ait Secularem Ecclesiasticum vocem non habere in Capitulo, qui non fuerit, saltèm Subdiaconus, etiam si ab alijs fuerit concessum.

7. *Sess*. 23. *Cap*. 10. Statuit Abbates non posse extra eorum Monasteria conferre primam Tonsuram, vel Ordines Minores ijs, qui subditi non sunt, non obstantibus quibuscunque priuilegijs = & eiusdem *sess*. *cap*.12. determinat ætatem ad Ordines Sacros suscipiendos, etiam pro Regularibus priuilegijs quibuscunque exclusis = & eiusdem *sess*. *cap*. 13. Vetat Regularibus etiam duos Sacros Ordines eodem die sucipere, non obstantibus Indultis, & Priuilegijs quibuscunque = & *cap*.15. de Approbatione necessaria, etiam Regularibus, ab Episcopis habenda, vt audiant Seculariũ Confessiones, Priuileg. & consuetud. quacunq; non obstante.

8. *Sess*. 24. *Cap*. 4. de reformatione Concilium vetat etiam Regularibus, prædicationem, etiam in suis Ecclesijs, contradicente Episcopo non obstantibus Priuilegijs.

9. *Sess*. 25. *Cap*. 4. *de Regular*. Vetat ne Regularis sine licentia sui

Su-

Superioris, prædicationis, vel lectionis, vel cuiuslibet pij operis prætextu se subijciat obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniversitatis, vel Communitatis, vel cuiuscunque personæ, seu loci, neque ei aliquod Priuilegium, aut facultas ab alijs super ijs obtenta suffragetur = & eiusdem *sess. cap.*13. Controuersias omnes de præcedentia inter personas tam Seculares, quam Regulares in Processionibus vult ammotas, non obstantibus quibuscumque &c. sed in omnibus Sacri Concilij locis enumeratis, vbi ponitur particula Priuilegiorum derogatoria nulla fit mentio de Collatione Sac. Ordinum Regularibus extra tempora ergo &c.

Dices *Sess.*23. *Cap.*8. Supracitato inuenitur clausula derogatoria, & mentio de Collatione Ord. Sac. extra tempora, ergo loca aducta non suffragantur.

Respondetur. Ibi non cadere clausulam derogatoriam supra collationem Ordinum &c. sed super eos, qui ab alio Episcopo, præter proprium, sine testimonialibus literis, etiam statutis a iure temporibus, Ord. Sac. suscipere volunt, de istis nulla vult suffragari priuilegia, vt legenti apertè patet.

E' contra verò Concilium, vbi de Regularibus loquitur, & non vult eorum priuilegijs derogare, nullam prorsus ponit particulam derogatoriam vt *sess.*4. *de Editione librorum* = *sess.* 5. *de Reformatione cap.* 1. *de lectoribus Biblicis Regularibus* = *sess.* 14. *de Reformatione cap.*11. *de Professo, qaod maneat in Claustro* = *sess.*25. *de Regular. cap.*1. *de Vita regulari*, *cap.*2. *de proprietate vitanda* = *cap.*3. *de possessione bonorum Immobilium* = *cap.*8. *&* 9. *de regimine Monialium* = *cap.*11. *de Visitatione curæ annexæ Monasterio Fratrum* = *cap. de Censuris, & Festis obseruandis* = *cap.*14. *de Regulari delinquenti extra Claustra* = *cap.* 15. *de Professione suo tempore facienda scilicet Annos ætatis* 16. = *cap.*16. *de Renuntiatione facienda ante professionem* = *cap.*19. *de Apostasia a Religione* = *cap.*20. *de Visitatione Superiorum Regularium* = *cap.*21. *de Restauratione Conuentuum, & Monasteriorum*. In ijs locis quia Concilium non vult derogare, nullam apponit clausulam derogatiuam.

Quod autem lex generaliter loquens non abroget priuilegium ea super re concessum de qua lex generalis disponit. Patet primo ex auctoribus supra allatis *nu.*4. secundo ab exemplo Indultum, quo fruuntur PP. Congregationis Neapolis, & de Vrbe, vt promoueri possint ad quoscumque Ordines ab Episcopis in quorum Diecesi habent Domicilium absque literis dimissorijs Epis. origin. non fuisse abrogatum per Constit. san. mem. Innocen. XII. incipientem *Speculatores* 1694. obseruat (1) quia lex generalis comprehendere num-

(1) *Monacellus*, *tom.*2. *tit.*13. *num.*41. *pag.*121.

numquam censetur priuilegiatum per Textum (1)

Secundo. Patet Auctoritate Doctorum num. (2) qui probant eamdem veritatem ratione; Quia vbi Synodus vult priuilegijs derogare id exprimit saltem in genere, vt in plerisque decretis videre est etiam supra relatis præcipuè *sess.24. cap.11.*, quapropter vbi nullam derogatoriam ponit censetur derogare noluisse (3)

Tum quia hac de re S. Congreg. requisita. Respondit Concilium non derogare priuilegijs Apostolicis, nisi de eis faciat expressam mentionem, vt refert. (4)

Tum quia eadem Sac. Congregatio referente Garzia (5) interrogata num indultum Leonis X. tribuens Præposito, & Canonicis S. Mariæ de Scala vacationem duorum mensium contra fundationem Ecclesiæ, intelligatur sublatum per dispositionem Concilij Trident. qui vult saluas esse Constitutiones Ecclesiarum, quæ longius seruitij tempus requirunt. Die 22. Decembris 1585. Respondit, *Per hoc decretum non esse derogatum priuilegijs Apostolicis, cum expressè non deroget indultis.*

Tum quia Sac. Concil. Congreg. specificè interpellata, num d. decreto *cap.8. sess.23.* sublatum fuerit priuilegium suscipiendi Ord. Sac. extra tempora. Respondit Sac. Cong. his verbis (6) dictum Priuilegium per hoc Decretum non fuisse ablatum.

Propter istas omnes auctoritates, & rationes moti Aduersarij duce Miranda aiunt (7) dictum priuilegium non fuisse abrogatum per ad-

(1) *Text. in cap. cum Ordinem, & cap. Abbat. 40. vbi Gloss. vers. per literas de rescriptis. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. Gloss. 9. §.2. n.6. Rota coràm Peutinger. dec. 354. n.10.*

(2) Nicolaus *Garzias de Benef. par.3. cap.2. num.259., Germonius loco cit. Eman. Rodericus tom. 1. quæst. regular. q. 8. art. 6. Suarez lib.4. de legibus cap.18. num.17. Martinez de Prado de Priuil. cap.5. quæst.5. n.28. Portell. v. Priuil. confir.21. Hieron. Rodericus resol.116. num.14. Io: dela Crux lib.2. cap.3. dub.6. concl.1. §. In prædictis, Lezana tom.2. cap. 15. n.18. & tom.3. v. Autem. Hieron. Garzias in Pol. reg. tom.8. dif.1. dub.5. n.5.*

(3) *Arg. leg. Vnic., §. Vbi autem Legatarij in fin. Cod. de caduc. tollen.*

(4) *Germonius vbi supra.*

(5) *Nicolaus Garzias loc. supra cit. n.260.*

(6) *Roderic. Tom.2. Bullar. pag. 505.*

(7) *Miranda man. Prælat. quæst.38. art.4.*

Barbosa de potestate Episcop. alleg.7. num.6., & Collectan. ad Concil. cap.8. sess.23. num.6.

Ricc. dec.93. n.6. part. 4. Ventrig. in prax. annot.44. §. Vnic. num.12. Mattheuccius in off. cum Regul. tom.2. cap.13. n.3.

adductum locum *Concil. cap.* 8. *sess.* 23. sed per alterum *sess.* 15. *de Regular. cap.* 22. his verbis *Præcepit Sac. Synodus omnia, & singula in superioribus decretis contenta obseruari in omnibus Monasterijs non obstantibus priuilegijs Mare Magno &c.* Cum ergo in superioribus Concil. decretis contineatur decretum de Ordinatione extra Tempora non habenda, sed statutis à iure temporibus, obseruandum iubet etiam a Regularibus non obstantibus Priuilegijs &c.

Respondetur *cap.* 22. *sess.* 25. sermonem non esse de ijs, quæ disposita fuerunt in quibuscumque decretis aliarum superiorum Sessionum, sed solum de contentis in decretis superioribus *sess.* 25. *de regular., & Monialibus* vt docent (1) & hoc probatur.

Primo. Quia non præcipit Sac. Synodus obseruari omnia, & singula, quæ in superioribus Sessionibus, sed quæ in superioribus decretis continentur, vt bene ponderat (2)

Secundo. Quia Tridentinum omnia Regularium priuilegia etiam illa, quibus expresse non derogauit, si generali hoc decreto configere voluisset, in postremo decretorum omnium loco constituisset, quod tamen Sac. Synodus non fecit, vt benè notat (3)

Tertio. Quia nisi Aduersarij consentiant locutum fuisse Concilium de ijs quæ comprehenduntur in decretis solius *sess.* 25. *de regular.* durissimum occurrit absurdum, nam *Concil. sess.* 25. *cap.* 20. *de Regular.* omnia Regularium Priuilegia concernentia in ea de quibus tunc vsque disposuerat, & quibus, eo vsque non derogauerat his dissertissimis verbis confirmat *in cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorum Ordinum personas, loca, & iura concernunt firma sint, & illesa*; Atqui Priuilegium de suscipiendis Sac. Ordinibus extra tempora, ea concernit, quæ sancita fuerunt in *Concil. ante caput* 30. *sess.* 25., de hac enim re disposuerat supra *dicto cap.* 8. *sess.* 23. ergo cum hoc Priuilegium nec in genere, nec in specie antedicto *caput* 20. *sess.* 25. abrogauerit, illud ibidem confirmauit, & voluit firmum esse, & illesum.

Ex quibus duplex Aduersarijs paratur laqueus, in quorum alterum incidant necesse est; vel enim concedere debent dictum Priuilegium non fuisse reuocatum *in cap.* 22. *sess.* 25. *de Regular.* vel si hoc effugere velint, dicere compelluntur parum sibi consti-

(1) *Eman. Roderic. tom.* 1. *quæst.* 4. *Passerin. loc. citat. quæst.* 189. *num.* 831. *Martinez de Prado loco cit. num.* 28. *in fine. Nicolaus Garzia d. cap.* 2. *num.* 277. *Nauarrus in manu. cap.* 7. *num.* 190., *& consil.* 7. *de Priuileg. num.* 19. *Cochier. part.* 2. *quæst.* 54. *num.* 9. *Io: Præpositus in* 3. *par. quæst. vnic. de Sac. Ord. dub.* 15. *num.* 156.

(2) *Roderic. loc. prox. cit., & Martinez, & Passerin. vbi supra.*

(3) *Castropal. prox. cit.* §. *Neque verum.*

tisse Concilium illud abrogando Priuilegium quod paulo ante confirmauerat, a quo dicto, & Maiestas Sac. Concilij abhorret, & ratio, nam Iuris correctio penitus est euitanda (1)

D I C O III.

Tale Priuilegium non fuit abrogatum per aliquam Pontificiam Constitutionem post Tridentinum.

Si aliqua esset Constitutio maxima illa Pij IV. *dat. Februarii* 1564. Incipien. *in Principis Apostolorum &c.* in qua absolutè abrogantur, omnia priuilegia in his omnibus, & singulis in quibus illa Statutis, & Decretis Conc. Trident. contrariantur, sed Decretis Tridentini hoc Priuilegium contrariatur ergo fuit, abrogatum.

Hanc tamen Aduersariorum instantiam DD. supracongesti præcludunt nam Sacra Congregatio referente (2) censuit dictam Pij IV. Constitutionem non se extendere vltra ea, quę in Concilio continentur, sed prædictum priuilegium non abrogatur, quia de illo non vult disponere, ergo illi non contrariatur; Imo *Concil. sess.* 25. *cap.* 20. vult quod in reliquis decretis, vbi non est abrogatio, si quæ sunt priuilegia maneant illesa, & consequenter nomine Priuilegiorum Tridentino contrariorum solum veniunt illa, quæ a Sac. Concil. sunt reuocata, vnde illa Constitutio Piana vult quod omnia Priuilegia per dictum Concilium expresse non abrogata sint confirmata.

Quibus adijcio prædictam Pij IV. Constitutionem supradicto Priuilegio, alio ex capite non nocere. Nam illa Constitutio abrogat Priuilegia, quæ Decretis Tridentini contrariantur; Qua de re quum à propria verborum significatione recedendum non sit (3) illa derogari solum censendũ est Priuilegijs contra, non prętor ius Commune Tridentini quale est indultum suscipiendi Ordines Sac. extra Tempora, non enim est mera quædam dispensatio soluens Regulares à lege suscipiendi Ordines temporibus à Iure Statutis, sed facultas potius atque potestas ipsis met Episcopis a Sede Apostolica impertita Sac. Ordinibus initiandi extra tempora Regulares, quoties ab eorum Superioribus legitima causa motis mittuntur, vt ex tenore

---

(1) *Cap. cum exped.* 26. *cap. cupientes* 16., *& ibi glos.* §. *Quod si per viginti, in verb. petere, cap. Constitutio* 41. *de elect.* 126. *& lege vnica cap. de Inofficios. dotibus Fagnan. in cap. cum dilectus num.* 5. *de Succ. ab intest. Gemin. cons.* 88.

(2) *Germon. loco supracitato num.* 69., *& Garzias ubi sup. n.*261.

(3) *L. non aliter ff. de legat.* 3. *l.* 1. §. *Licet ff. de exercitior. action. cap. penult. de Sent. excomunic.*

nore Priuilegij Eugenij IV. Patribus S. Hieronymi concessi, & Alexandri IV., & VI., & expresè docet Gregor. XIII. In præcitata Bulla *Pium, & vtile* (1) vbi habetur *Nos enim illis Ordines omnes sic suscipiendi, ac prædictis Antistibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus*.

Quamuis enim dispensatio ipsa iuris communis sit contrà Ius, quià illud semper vulnerat (2) facultas tamèn, & potestas concessa ad actum, aliàs communi iure interdictum, non est contrà ius, sed præter ius, vt docent (3)

Demonstratur ratione primò, nam potestas, siuè facultas dispensandi si prudenter, & moderatè exerceatur maximè conducit ad bonum commune, quod est finis omnium legum, vt docet *D. Thomas*, ergò prædicta facultas non est contraria legibus, & Iuri communi (4)

Tùm quià Pontifex huiusmodi facultatem concedens non intendit principaliter vulnerare ius commune, id veniat licèt in consequentiam, sed fauore, & beneficio quodam afficere personas, quibus eam facultatem largitur, vel bono communi specialiter prouidere. Principale autem intentum, & propositum est semper inquirendum (5) nec officit potestatem debere semper imitari naturam actus, vt docet (6) non officit quidem quià id procedit quando effectus odiosus est principaliter intentus, non verò quando principaliter intenditur collatio fauoris, & Beneficij in vtilitatem, & commodum communis boni recidentis.

Imò ex hac ratione possit inferri, quod facultas siuè potestas, quæ in ipso Principe reperitur qoandoque relaxandi ius commune odiosa sit, & eidem iuri communi contraria, quod nemo dicere potest, quùm à Iure ipse Princeps habet facultatem dispensandi leges.

Tùm quià priuilegium contrà ius commune concessum odiosum est, & strictè interpretandum ità (7), & communiter Doctores, Priuilegium autem consistens in facultate non est odiosum, sed merum

(1) *In compend. Priuileg. Sac. Rota v. ord.* §.3.

(2) *Siluester v. dispensatio n.*1.

(3) *Felin. cons.*6. *n.*6. *Sanchez de Matrim. lib.*8. *disp.*2. *n.*1. *Castropalao to.*3. *disp.*4. *punct.*10. *n.*3. *Bonacin. de leg. disput.*2. *quæst.*3. *punct.*7. §.2. *n.*14. *& alij*.

(4) *D. Thomas* 1. 2. *q.*90. *ar.*4.

(5) *L. rogasti in Princip. l. si quis ff. si certum petat l. si quid donationis causa ff. de contrahen. empt.*

(6) *Bartol. in leg. constit. n.*1. *ff. ad municipal.*

(7) *L. quod contra ff. de legibus l. quæ contra ff. de R. I. Barbosa in leg. quia tale n.*22. *ff. solut. matrim. Suarez* 8. *de leg. cap.*27. *&* 11. *Salas disput.*17. *de leg. sect.*6.

Principis beneficium, & latè interpretandum (1)

Quibus omnibus quum appareat neque *dict. cap. 8. sess. 23.*, reuocatorio decreto indultorum, neque demùm Pij IV, memorata Constitutione, nec Sixti V. Constit. infrà referenda argumento primo prædictum priuilegium maximè ab Eugenio IV., & Alexand. IV. & VI, concessum minimè fuisse læsum, & sublatum, consequenter adhùc fruuntur de Apostolica dignatione dicto Priuilegio. Imò

DICO IV.

Post Concilium Tridentinum tale Priuilegium fuit à multis Pontificibus confirmatum, ab alijs concessum, ab alijs communicatum.

ET quoad primum Pius IV, confirmator Tridentini Constitutione 9. incip. *circumspecta Romani Pontificis* §.62. confirmat hoc priuilegium, quo fruebantur PP. Cassinenses = Idem præstat Gregoriut XIII. Constit. 60. incip. *quo magis* = Clemens VIII. 7. Aprilis constit. 16. incip. *in supremo* = Vrbanus VIII. constit. 15. incip. *vniuersalis Ecclesiæ* = Innocentius X. constit. 14. incip. *Redemptoris* confirmant hoc priuilegium concessum Patribus Cassinensibus à Summis Pontificibus qui antè Tridentinum vixerant, vt patet in primo asserto, ergo tale priuilegium adhùc est in suo robore, vtpote confirmatum à Pontificibus viuentibus post Tridentinum.

Quoad secundum Gregor. XIII. hoc concessit Patribus Societatis Iesu per constit. 77. incip. *Pium, & vtile* datam Tusculi 12. Septembris 1582.

Quoad tertium plures Pontifices qui fuerunt post Concilium Tridentinum priuilegium hoc concessum Iesuitis communicatum voluerunt particularibus Ordinibus, & ex vi communicationis etiam alijs. Patet nàm Gregorius XIV. Priuilegia omnia concessa Societati Iesu per communicationem voluit esse concessa Patribus Crucigeris de anno 1591., & eadem concessit Patribus Cisterciensibus 28. Iunij 1591.

Vrbanus VIII. Constit. 21. incip. *Redemptionis nostræ*, Priuilegium Cassinensium extendit, & communicat omnibus Religionibus, etiam Iesuitis, & in specie Patribus Excalceatis Sanctissimæ Trinitatis

(1) *Gloss. in cap. ijs qui v. in potest. in fin.* 15. *q.* 8., *& in cap. dudum de Benef. de præbend. in* 6. *Federic. cons.* 163. *Oldrad. cons.* 151. *Calder. cons.* 1. *de consang. Bartol. l.* 2. *in princ. n.* 2. *ff. de verb. oblig.*, *& ibi Baldus Imola n.* 2. *Bartolom. Soccin. n.* 14. *Alciat. n.* 48. *Alexan. num.* 6.

tatis concessit priuilegia Societatis Iesu cum clausulis peculiaribus 5. Kal. Aprilis 1634., & idem concessit Minoritis de Obseruantia Kal. Iunij 1625. Const. incip. *Cùm sicut dilectus*, & Patribus Excalceatis S. Augustini Constit. *Cùm sicut dilectus* 4. Idus Aprilis 1633.

Innocentius X. priuilegium hoc olim Patribus Cassinensibus concessum confirmat Constit. 14. incip. *Redemptionis &c.*

Alexander VII. Priuilegium hoc concessum Patribus Minoritis communicauit Patribus Excalceatis S. Petri de Alcantara Const. 161. incip. *Exponi nobis fecerunt*.

Clemens X. Constit. 25. incipien. *Ad vberes Bonorum &c.* omnia Priuilegia concessa Carmelitis Excalceatis communicauit Carmelitis Calceatis, & ea quæ sunt cum clausula prohibitiua communicationis, & priùs in Const. 24. incip. *Redemptionis* communicauit omnia priuilegia Patribus Redemptionis Captiuorum sequentibus verbis, *nec non Societ. Iesu, quamuis sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt*, sed omnes isti Pontifices ordine quo citati sunt fuerunt post Tridentinum, & hoc priuilegium partim concessum aliquibus Ordinibus alijs communicarunt, partim concesserunt &c.

Opponunt tamèn Aduersarij, quod licèt Gregorius XIV. de anno 1591. Priuilegia concessa Iesuitis communicauerit alijs Ordinibus, non per hoc ipsis competunt; Quia vt notat Reuerendissimus Petra (1) Papa non communicat, quæ aliàs sublata fuerant, & quæ Iesuitis propter aliquam specialem rationem concessa sunt, nisi id exprimat, vt patet in Priuilegio concesso Iesuitis.

Ista tamèn oppositio ad rem nostram non facit. Primò quia vt supra fusè ostensum est, Priuilegium, de quo supra, nec Tridentini decretis, nec aliqua Pontificum Constitutione sublatum fuit.

Secundò quia Gregorius XIV. in Bulla dictæ communicationis expresse docet Crucigeris non modò velle communicata Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Priuilegia, sed signantèr etiam, & nominatìm illa Societ. Iesu, quod si non referatur ad illa, quæ sunt dictæ Societati specialitèr concessa, frustranea esset ipsius Societatis expressio, & nihil operaretur contra Textum (2) dicentem quamlibet etiam sillabam debere suum effectum sortiri.

Tertiò quia vt supra est demonstratum, Priuilegium suscipiendi Sac. Ordines extrà tempora, quum sit Præter, non contra ius commune concessum, & nemini noceat, venire debet in communicatione

(1) *Petra ad Constitutionem 4. Anastasij.*

(2) *In cap. Si Papa de Priuileg. in 6. leg. 3. ff. de Iure iuran.*; *leg. Non dub. Cod. de leg.*, *Gloss. in cap. Solitæ, vt tanquàm de maior. & obedien.*

Priuilegiorum Societ. Iesu, quia prædicta communicatio respectu talis Priuilegij est mera gratia, merumque Principis beneficium amplissimè interpretandum (1)

Pr. secundò quia (2) Vrbanus VIII. 5. Kal. Aprilis, vt diximus supra Patribus Excalceatis Sanctissimæ Trinitatis omnia Soc. Iesu Priuilegia nominatìm concessit sub his specialibus clausulis, *Quamuis illa sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solùm per participationem, communicationem, illorum extensionem, & ad illorum instàr, sed speciatìm, nominatìm, pariformitèr, & æquè principalitèr in omnibus, & per omnia, absque vlla prorsùs differentia, perindè acsi primò illa prædictæ Congregationi expressè, & nominatìm per viam, & modum simplicis concessionis particularis, ac specialis, etiam motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessa fuissent.* Quæ omnes Clausulæ, vt vides, tricas illas resecant, quibus nituntur contrarij probare Priuilegium Societ. Iesu nullis alijs Ordinibus esse communicatum, eò quia in huiusmodi Priuilegiorum communicatione non veniunt ea, quæ sunt speciali nota digna, ac difficilis concessionis, nàm expressè illa etiam Societ. Iesu Priuilegia, (quæ sunt speciali nota digna, & difficilis concessionis, atque in generali concessione non veniunt,) concepit.

Pr. tertiò nàm adest pro Cistercienſibus Gregorij XIV. amplissima Constitutio sub die 28. Iunij 1591., quæ in duplici *cap. Secatur. in* 1. Pontifex dicti Ordinis Priuilegia, etiam via communicationis concessa innouat, & confirmat adiecta clausula, modo Concilij Tridentini decretis non aduersentur, vt ab innouatione illud excludat Priuilegium, quo principales quatuor Abbates fruebantur conferendi Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus Monachis sibi subiectis, & alia Indulta per Tridentinum reuocata *sess.* 23. *cap.* 10. In secundo autèm dictæ Constitutionis capite (illa clausula prætermissa) Priuilegia omnibus alijs Ordinibus, Congregationibus, Conuentibus, Collegijs, & Regularibus Personis, tam in Vrbe, quàm in quibuscumque Mundi partibus existentibus quomodolibet concessa communicat, hac autem concessione Summum Pontificem voluisse Cistercienſibus communicata non illa solùm, quæ generalitèr veniunt, sed propria etiam aliarum Religionum Indulta constat. Primò quia secundum huius Constitutionis caput incipit *Et insupèr*, quæ dictio significat diuersitatem à præcedentibus (3), & ve-

---

(1) *Per Textum in cap. Olim de V. S.*, , *cap. Cùm dilect. de donat. leg.* 3., *leg. Beneficium ff. de Constit. Princip.*

(2) *Leander tom.* 2. *tr.* 6. *disp.* 10. *quæ* 34.

(3) *Cap. Insupèr de Testibus, Vulpellus de præp.*, *& aduerb. sub diction. in fine.*

& venit continuatiuè addendo ad superiora (1). Secundò quia Summus Pontifex id aperit dicendo, *& insupèr eosdem amplioribus fauoribus condecorare volentes*. Tertiò quia postquàm habuit Summus Pontifex sermonem de Priuilegijs omnibus alijs Ordinibus concessis, ità subdit: *Quorum tenores haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, etiam si talia sint, & forent, quæ specialem, & indiuiduam requirerent mentionem, seù particularem insertionem, illaque omnia, & singula ad dictam Congregationem Sancti Bernardi perpetuò extendimus, atque communicamus æquè pariformitèr, absque vlla penitùs differentia, ac si pro, & in fauorem eorumdem à S. Sede Apostolica à principio emanassent, ac fuissent immediatè concessa*.

Nec valet dicere effectum Communicationis quantumuis generalibus, & effrenatis clausulis conceptæ, & signanter cum illa clausula, *ac si de verbo ad verbum* insererentur, non se protendere ad ea, quæ sunt specialitate digna, quale censendum est priuilegium a Gregorio XIII. Patribus Iesuitis concessum, quod etiam confirmat *Rota decis.8. part.8. Rec.*

Non valet, inquam, nam & si concedere velimus dictam clausulam *de verbo ad verbum* non operari, vt etiam, quæ specialitate digna sunt comprehendantur, id tamen in præsenti non habet locum, quia illa clausula iuuatur, & sustinetur per aliam, nempè, *etiamsi talia sint, vel forent, quæ specialem, & indiuiduam requirerent mentionem*. Vbi enim Pontifex concedit priuilegium, cuius tenorem licet non exprimat, vult tamen haberi pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto, *etiam si tale sit, quod specialem requireret mentionem*, nullus iam superest ambigendi locus, voluisse priuilegium quoque illud communicatione concedere, quod est speciali nota dignum, quia vbi sunt verba clara cessant coniecturæ (2) & vlterius non est disputandum. Nec obest Rotæ confirmatio, Rota enim solum docet communicationem priuilegiorum illa non comprehendere, quę de facili non solent concedi, sed præfatæ clausulæ, *ac si de verbo &c.* non meminit.

Nec infringit nostram rationem id quod dicit *Butrio* (3) quod quamquam communicentur priuilegia cum clausula *in omnibus, & per omnia &c.* non tamen venire illa, quæ sunt insolita, & dificilis concessionis.

Non

(1) *Cap. Statutum §. Insupèr de rescript. in 6., Cap. Vbi periculum §. Insupèr de elect. in 6., Rota in Romana Palatij* 18. *Februarij* 1619. *coram Card. Sacrato*.

(2) *L. continuo ff. de verb. obligat. l. Gallus §. victus, & ibi Bald. in secundo notans ff. de liber., & posthum. Rota part. prima Recentior. decis.* 34. *num.* 9.

(3) *Butrio cit. cons.* 19. *num.* 9. *Natt. cons.* 4. *num.* 6. *Rota dec.* 55. *num.* 14. 15. *par.* 2. *diuersor.*

Non inquam, infringit, quia idem non eſt iudicium de clauſula *in omnibus &c.* ſed de iſta, *quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum*; quia prima clauſula ſalua proprietate verborum intelligi poteſt cum eorum exceptione, quæ ſunt ſpecialitate digna, & difficilis conceſſionis, vt citati Auctores probant, verum hoc dici nequit de altera clauſula, *ac ſi de verbo ad verbum &c.* Quia ſi Priuilegia, quæ communicantur reuera de verbo ad verbum tranſcriberentur, illa etiam quæ ſpecialitate digna ſunt, & difficilis conceſſionis exprimerentur alias non eſſent de verbo ad verbum inſerta; Prædicta autem clauſula, *quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum &c.* operatur perinde, ac ſi reuera, omnia fuiſſent expreſſa de verbo ad verbum (1)

Sed fortius vrgent, & hoc eſt robur fundamenti contrarij, Priuilegium a Gregorio XIII. Ieſuitis conceſſum eſt cum hac clauſula: *Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus alijs qui vi etiam ſua priuilegia cum ſocietate copiosè participant, participareue poterunt, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus*, ergo vſque nunc allata corruunt.

Reſpondetur primo omnes Doctores(2) alioſq; doctiſſimos viros affirmare illud Societatis priuilegium ad cæteros Regulares via communicationis eſſe extenſum, dicta clauſula non obſtante, & ratio eſt, quia Pontifex non poteſt ſucceſſorem impedire, ne quod ipſe vni conceſſit, alijs quoque ſucceſſor concedat, Par enim in Parem non habet imperium (3) In

(1) *Butrio conſ.2.in Princip. Mobed.deciſ. prima de reſcript.Gabriel. poſt alios de Clauſ. concl. 5. num. primo. & Rota in Albanen. Beneſ. coram Pirouano dec.607. num.2., & deciſ.407. num.7. part.3. Recentior.*

(2) *Roderic. tom.primo quæſt.55. art.7. §. ad Arca.Hieron.Roderic.reſol. 116. num. 50. Io. dela Cruz lib. 2. cap. 4. §. 2. ſequitur, & §. Ex his patet. Celeſtinus in Compend. tom.8. cap. primo. Diana part.3. tract.2.reſol.78. 81., & par.5. tom.3. reſol. 46. Hinnojoſ. ver. Confirm. Priuil. dubio hoc loco. Miranda tom.2. quæſt.46. art.5. Leander tom. 3. de decim.tract.6.diſ.60.quæſt.34.36.Raph.dela Torre 22.quæſt.97.diſp. prima. Peregrin.apud Dian.d.quæſt.74. Eſcobar.lib.6. Theol.mor.cap.7. num.85.Philibert.tom. primo par.7.num.primo. Laiman.tract.18.cap.8. num.2. Ludouiſ. a S. Ioanne quæſt.3. de Ord. ar.2.dub.2.Machad.to.2. lib.5.par.2.tom.6. docum.9. Barboſa de of., & pot.Epiſ.coll.17.num.6. par.2. Auerſa de Ord.quæſt.3.ſect.9. Præpoſitus 3.p. q. vnic. de ord.dub. 55.n.150.Fagundez de. præcep. 2. num. 12. Martinez de prado loc.cit. num.7.Donatus prax.regul.tom.7. qu.4.Roſignol.de Matri.concl.3.q.72. n.19. Anaclet.tit.15.de Temp.ar.52. num.51. Antonius a Spiritu Sancto direct.regul.diſp.3.ſect.3. §.4.num.112. Ceſpedeſ. Villalobos Gabriel. & alij.*

(3) *Cap. Innotuit de elect.*

Insuper animaduerto Gregor. XIV. in dicta Bulla pro Cistercienfibus derogare clausulis communicatione obstantibus his expressis verbis, *quibus omnibus, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & inferentur; & non per causulas generales, pro sufficienter expressis, & insertis habentes specialiter, & expressè derogamus*, per hæc autem verba censeri omnes sublatas clausulas resistentes, ac derogatoriarum derogatorias docent (1), & maximè accedente clausula *pro expressis*.

Addo ad elidendum tàm arduum à contrarijs conceptum argumentum, vt attentè considerare velint laudatam Greg. XIV. Constitutionem supradictam, & inuenient hæc verba. *Non obstantibus quibusuis etiam annullatiuis, cassatiuis, infectiuis, declaratiuis, exceptiuis, modificatiuis, mentis attestatiuis, & etiam communicationis prohibitiuis, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis &c.*, quid clariùs, vt euincatur mentem Gregorij XIV. voluisse communicare Cistercienfibus Priuilegia alijs concessa, etiam cum clausula communicationis prohibitiua? Quis nunc rationabilitèr dicat verba illa Gregor. XIII., *præsentis autem gratiæ communicationem fieri omninò prohibemus*, impedire communicationem, quum illis Pontifex Successor explicitè, & rotundè derogauerit.

Quum itàque Priuilegium hoc Iesuitarum fuerit extensum, & communicatum Patribus Cistercienfibus, & quidèm sine illa clausula vlterioris extensionis ad alios Ordines prohibitiua, & potiri, ac frui cæteros omnes Regulares, qui mutua gaudent Priuilegiorum communicatione, asserunt ferè omnes Doctores paulò ante relati, quin eorum Sententiæ obstet repetita pluries obiectio nempè generalem communicationem non comprehendere, quæ sunt speciali nota digna, qualia esse non est dubium, quibus Tridentinum, vel aliqua Constitutio resistit Apostolica; id enim vltrò concedimus, sed constantèr negandum dicimus facultatem, de qua loquimur Sacri Concilij Tridentini, vel alicuius Apostolicæ Constitutionis habere resistentiam, vt supra dictum est, & probatum. Idcircò Priuilegium hoc, quum non sit ab hoc speciali nota dignum rectè dicitur communicatione Priuilegiorum venire, cum non sit contra Ius commune, & nemini noceat, vt supra dicebamus.

Nec obstat paritèr in concessione facta Iesuitis assignare Gregorium XIII. specialem rationem, ob quam Priuilegium tale ipsis concessit sci-

(1) *Federic. de Sen. cons. 47. num. primo. Alexander cons. 7. libr. 4. ...on. cons. 184. col. 3. lib. 2. Paulus de Castro cons. 206. num. 2. lib. primo ... de Anna cons. 56. num. 3. Ant. de Butrio cons. 2. Mohed. dec. prima de ...cript., & ita indic. Rota in Intcramnen. bonorum 5. Maij 1603. de ...87. num. 4. par. 2. Rec.*

ſcilicèt Voti, quod dicti Patres emmittunt eundi ad nutum S. Sedis ad Sac. Miſſiones.

Non obſtat quidèm, quia in Bullis communicationis Priuilegiorum fit mentio ſi non huius, alterius motiui, quod ſufficit, vt Priuilegia communicata intelligantur. Quis enìm dicet gratiam vni ob vnam rationem indultam, non poſſe Principem ob aliam rationem alteri largiri? Immò quum huiuſmodi communicationes plerumque Summus Pontifex concedat de plenitudine Poteſtatis non eſt inquirenda ratio (1), & ſic ſatisfit Obiectioni ſupra poſitæ.

OBIECTA DILVVNTVR.

Obijciunt primo ad euertendum vnum ex fundamentis quartæ Aſſertionis, ſcilicèt Breue Gregorij XIII., quo Ieſuitis dictum Priuilegium concedit. Opponunt etiam Conſtitutionem Sixti V. contra malè promotos, quæ eſt 91. in ordine, incipien. *Sanctum, & Salutare* Dat. 5. Ianuarij 1588., vbi ſub grauibus pænis præcipitur tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, ne extra tempora à Iure ſtatuta ordinentur, nec alitèr, quam in Tridentino præcipitur Ordines recipiant, non obſtantibus quibuſcumque Priuilegijs ergò per hanc Conſtitutionem Ieſuitis, & omnibus alijs ablatum fuit hoc Priuilegium.

Sed reuerà decipiuntur contrarij, primo quia (2), dicta Conſtitutio non derogat expreſsè Priuilegijs, ſed Priuilegia non cenſentur, abrogata, niſi fuerint expreſsè reuocata, & ſublata, vt patet ex dictis, ex aſſerto ſecundo in locis Concilij, quia cum Priuilegium ſit quædam lex priuata (3) debet expreſsè per aliam legem contrariam reuocari, correctio enìm, & abrogatio legis fit per expreſſos, & non tacitos intellectus, ergò cum in dicta Bulla nulla ſit expreſſa reuocatio Priuilegij, de quo in quæſtione conſequens eſt, quod dictum Priuilegium Gregorij XIII. pro Ieſuitis, & conſequenter, nec pro alijs cenſetur reuocatum = Secundo quia in tale Conſtitutione Sixtus V. expreſsè dicit nullum poſſe ordinari extra tempora nec diſpenſatione, aut Indulto Apoſtolico, ſed qui habet Priuilegium hoc

(1) *Bald. in leg. 2. Cod. de Sentent., & Acq., & in cap. Si quis autem de par. Conſt., Mart. de Clauſ. Clauſ. 259. nu. 1., Barboſa ad Dict. Clauſul.*

(2) *Pater Thomas de Sancta Maria à Mendicla in Collectan. Sacr. Tom. 3. part. 7. de Sacr. Ord. Select. 2. Dub. 3. dificul. vnic. num. 6. petit. vnic.*

(3) *Gloſſa in cap. Cupient.*

hoc ordinationis extra tempora habet Indultum Apostolicum, ergò Sixtus V. non derogat tali Priuilegio, nec dicuntur malè promoti = Tertio quia talis Constitutio contra malè promotos fuit reuocata à Gregorio XV., & ad terminos Iuris redacta, vt docet Sebastianus Giribaldus = Quarto quia si Priuilegium Iesuitarum per hanc Sixti V. Bullam corruisset, sequeretur quod Pontifices Sixti V. Successores, qui huius Iesuitici Priuilegij participes fecerunt alios Regulares participationem egissent Priuilegij non existentis, quod nequit dici.

Secundo. Obijciunt ad euertenda nostra Afferta. Si Regularibus vniuersìm competeret priuilegium, de quo supra, inutilis fuisset eiusdem indulti concessio facta Iesuitis &c., & præsertìm cum prohibitione ne alijs Regularibus communicaretur, vt & Minoribus de Obseruantia restrictè ad eos tantùm, qui commorantur in partibus Indiarum Occidentalium per Vrb.VIII. 3. Iunij 1625. *Cùm sicut &c.*

Ad hoc breuiter respondetur, quod ideò accidit, vt in Obiectione tangitur, quia Regulares ad Sac. Ecclesiarum Antistites pro suscipiendis Ordinibus missi repelluntur, vnde non inutiliter hac de causa speciale priuilegium, cui nulla possit obsistere contradictio à Sancta Sede curauerunt obtinere. Accedit, quod Pontificium priuilegium, etsi non sit necessarium, est tamen semper vtile, vel pro sedandis conscientijs, vel pro scrupulis extirpandis, vt docet (1) Preterea virentis priuilegij confirmatio facta in forma communi, quamquam nihil tribuat noui iuris (2) superuacanea non est (3) ergo multo minùs noua, & specifica præsentis gratiæ concessio iudicanda est inutilis, & superflua, neque prædicti priuilegij limitatio ad solos Iesuitas, & ad Minores in remota Indiarum Occidentalium plaga tantùm degentes, probat ceteros Regulares eodem priuilegio alias non potiri, sed solum Gregorium XIII., & Vrban.VIII. sua speciali, nouaque concessione alios vniuersim noluisse comprehensos,

Tertiò. Obijcies, si omnes vniuersim Regulares fruerentur dicto priuilegio superuacuè SS. Innocentius XII. expedito Breui super moderatione indultorum suscipiendi Ordines extrà tempora, emanato die 14. Decembris 1693. in eo cauisset Regularibus ob penuriam Sacerdotum huiusmodi esse Breuia concedenda.

Resp. Quod ex prædicto Breue Innocentij XII. non sequitur, Regu-

---

(1) *Pasqualig. de Ieiun. q.415. num.4. Neuger de hor.Canon. disput.11. q.3. Suarez lib.2. de Iura. cap.15. n.8.*

(2) *Cap.1. & 2. de Confirm. vtil. vel inutil. l. Si stipulatus §. Verum §. de Vxoris.*

(3) *Bald. cons.23. ver. Solutio, Gonzalez in cap. Cum dilecto de Confirmat. vtil., vel inutil. Pyrhing. eod. tit. §.1. num.3. Zoesius ibid. num.2., & alij DD.*

gularium priuilegium corruiſſe; decreto enim ſuo Pontifex non diſpoſuit Regulares extrà tempora non eſſe ad Ordines, niſi Breuia acceperint, promouendos, ſed ſolùm iubet petentibus impertienda; Rectè quidèm, ac prudenter, nam Epiſcoporum nonnulli, quum prædictis conferre Ordines vi priuilegiorum ob ſcrupulos fortè recuſent, ne Sacerdotum inopia Monaſteria laborarent commune cęteris remedium noluit Pontifex Regularibus denegandum.

Quarto. Obijciunt, ſi Regulares dicto priuilegio muniti eſſent, eorundem breuium in diem non rogarent expeditionem, ergo ſi rogant non gaudent.

Ad 4. Reſpondetur ex eodem fonte à quo Reſp. 3. Obiectionis emanat, ex eo enim quod Regulares conuolant ad breuia, quia ipſis non permittitur ſua priuilegia ſuffragari, non ſequitur quod illorum recurſus ad talia breuia argumento eſſe debeat, priuilegia perdidiſſe. Id enim ſic ad euitandas difficultates, vel ad reſecandos ſcrupulos, vel ad bene eſſe, nec arguit defectum facultatis, neque præiudicat vt reſoluit (1) = Immò Priuilegium quamquam in aliorum grauamen cedens, per non vſum, ſeù vſum contrarium non amitti, ſi poteſtas illo vtendi non deſit affirmant Doctores teſte (2), quod vrgentius procedit de priuilegio, quod in nullius recidit incommodum, & grauamen, hoc enim etiam longiſſimi temporis non vſu infirmari nequit (3), & inſuper vt non vſus priuilegij dicatur verus non vſus, requiruntur tria primo, quod fuerit oblata occaſio illo vtendi, nec fuerit arrepta, ſecundo vt detur ſcientia priuilegij, tertio vt detur potentia tunc vtendi.

Obijciunt 5. Argumentum, quod Aduerſarij vocant fortiſſimum deſumptum ex reſponſione data à Sac. Congregatione Concilij Pręſulibus Senenſi, & Aſſiſienſi ſuper hoc percunctantibus, Archiepiſcopus enim Senenſis die 2. Maij 1669. interogauit Sac. Congregationem; An Regulares cuncti fruantur indiſtinctè priuilegio aliquo, vt promoueri poſſint ad Sac. Ordines extra Tempora à iure ſtatuta diebus Feſtiuis per annum; Cui Sac. Congregatio reſpondit. *Dilata, & in-*

(1) *Rota in Marſicen. Iuriſdict.* 1. *Iunij* 1700. *cor. Muto, poſt Monacell. in oper. poſthum. dec.*4. *num.*53.

(2) *Gonzalez in cap.*51. *de terra n.*5. *in fin. de priuileg., & colligunt ex l. Voluntariæ C. de Excuſat. leg.*2., & 3. *Cod. de his quæ ſponte. Pirhing. de Priuileg. ſec.*6. §. 3. *num.* 179., *Caſſaing. de Priuil. regul. cap.*5. *prop.*1., *Zoeſius eod. tit. n.*35., 36.

(3) *Gloſſ. in cap.*24. *ſemel in anno de priuil., Suarez lib.*8. *cap.*34. *num.* 17., *Layman. lib.*1. *tract.*4. *cap.* 23. *num.* 22., *Pirhing. loc. cit. num.*176. 183.

*Caſtropalao tom.*3. *diſp.*4. *punct.*18.

& interim abstineant, donec exibeantur sufficientia priuilegia.

Episcopus vero Assisiensis die 23. Ianuarij 1706. eandem Sac. Congregationem interogauit: An Episcopus potuerit ordines extrà tempora regularibus conferre, & quatenus Negatiuè. Secundo, an & in quas pęnas ordinati inciderint? Et Sac.Congreg. respondit *Dilata, & scribatur Episcopo; quod se abstineat donec exhibeantur priuilegia Regularium*: ergo Episcopis interdicta est Sac. Ordinum collatio extra tempora, nisi ea de re sufficiens exhibeant priuilegium; sunt enim Decreta hæc congesta verbis imperatiuis importantibus præceptum nempè abstineant.

Hæc tamen obiectio nullius est roboris. Nunquam enim contendimus Regulares omnes ordinari posse extra tempora, vt quæsita ferebant; sed illos tantum, qui priuilegiorum comunicatione gaudent, vt huc vsque demonstratum est: adeoque dicta responsio quæstionem nostram nec leuiter tangit.

Sed, clarioris inuestigationis gratia, dato etiam, quod tale argumentum contrà nos militare; Notandum est quod verbum imperatiuum dupliciter intelligitur; Primo, si ex vi suæ, ac natiuæ significationis præceptum enunciat vt sunt verba *Præcipio, Impero, Iubeo &c.* Secundo illud imperatiuum appellatur, quod significatione sua pręceptum licet non enunciet, sed indiscriminatim iungi possit, & cum præcepto, & cum consilio, attamen imperatiuè profertur, *vt facite, soluite, abstineant*. Imperatiua primi generis inuoluere præceptum penè omnes Doctores consentiunt, quum vero verbum *abstineo* huius non sit generis, non licet colligere decretum, quod illo constat esse verbis imperatiuis conceptum, in eo sensu quod præceptum importent, sed solum indifferentibus imperatiuè prolatis. Huiusmodi autem verba quamuìs imperatiuè prolata, dummodo absolutè proferantur præceptum non inuoluere docent bene multi Doctores contra Panormitan. (1) ita testatur (2) quum ergo in præsenti verbum abstineat insertum sit absolutè decreto, præceptum sub mortali saltem obligans, importare negandum est. Vel dicendum, quod cum Sac. Congregatio rescribat Episcopis, qui ob eximiam dignitatem successores sunt Apostolorum, in dubio saltèm relinquit, an hoc verbum *abstineant* importet præceptum, an consilium, quo dato reputanda sunt talia verba exhortationem solùm includere, vt docent (3) quia

(1) *Alphons. de Castro lib.1. de potest. leg. Pœna cap.5. docum.4., Summa Corona part.1. cap.1. num.33. concl.4., Michael Salon tom.2. quæst. 77. art.1. contr.8., Caietanus 2. 2. quæst. 166. artic.9. ad 1., Nauar. in sum. cap.23. à n.44., Emanuel. Sà v. lex. n.6.*

Panormitan. in cap. Vestra not. 2. de Cohabit. Cleric., & Mulier.

(2) *Sayrus lib.3. Clauis Reg. cap.7. n.26.*

(3) *Castro lib.1. deleg. pœn. cap.5. docum.4., Sanchez lib.6. decal. cap.4. num.27., & 66., Castropalao tract. 1. disp.3. part.17.*

quia semper in dubio, & in pęnis benignior interpretatio facienda est (1)

Secundo Resp. Quod dato quod adducta S. Congregationis rescripta verba præceptum includerent, eius tamen præcepti vinculum ad omnes alios Episcopos vniuersim sese extendere fidenter nego; Huiusmodi enim Sac. Congregationis resolutiones non emanarunt pro decisione articuli in abstracto, vt supponunt aduersarij. Articulus enim Sac. Congregationi propositus in dicta Senensi fuit an Regulares cuncti fruerentur indistinctè priuilegio aliquo suscipiendi Sac. Ordines extra tempora; Pariter Episcopus Assisiensis postulauit an Episcopus potuerit Regularibus Ordines extra tempora conferre. S. Congregatio Respondit *Dilata* non ne hac responsione Sac. Congregatio nil aliud enunciauit nisi præfati articuli decisionem distulisse, & adhuc velle in suspenso? Nec alia decreti pars prodijt pro articuli decisione, cum in ea nihil de prædictorum priuilegiorum existentia, vel non existentia respondeat, sed solum rescribendo Præsulibus Senensi, & Assisiensi, vt interim abstineant donec exhibeant priuilegia; neutra autem decreti pars emanauit pro decisione articuli, sed primo Sac. Congregatio declarauit decisionem distulisse, secundo eis qui de prædictorum priuilegiorum existentia (vt est inquæsito, & tradit Monacellus (2) ambigebant rescribit à Collatione Sac. Ordinum extra tempora abstineant, quasi admonens eos iuris naturalis, quo tenetur quilibet in dubio contra ius Commune non operari (3) atque hanc esse mentem S. Congregationis eiusdem responsi verba demonstrant, quibus absolute non dicitur Abstineant, sed interim donec exhibeant priuilegia, quorum scilicet exhibitione dubitatio deponatur. Quare si quid vt in laudatis Sac. Congregationis responsis præceptum, illud non extendi constat; nisi ad eos, qui de prædictis priuilegijs dubitant, vbi enim ratio, & finis legis non militat, nec legis dispositio militare debet (4)

Dices ergo Episcopi illi qui in hoc dubio versantur tenentur cogere Regulares ad exibenda sua priuilegia vt probat expresse Textus (5)

Resp. Primo cum distinctione; aliud enim est Episcopos non teneri Pri-

Re-

---

(1) *L. Interpretatione, & l. Si præsens* §. *De pæna cap. In pæna de reg. in* 6.

(2) *Monacellus par.*1. *tit.*13. *pag.*120. *num.*37.

(3) *Cap. Iuuenis de sponsal. & matrim. Can. sicut* 14. *distin.*

(4) *L.*33. *ff. depactis l. fin. ff. de hæred. Instit. Nauarrus cons.*23. *n.*5. *de sent. excom. Donat. prax. regul. tom.*2. *par.*2. *tract.*4. *quæst.*39. *n.*11. *Zachar. de salar. quæst.*6. *n.*17. *Monacell. tom.*2. *pag.*226. *n.*12.

(5) *L. vnic. C. de mandat. Princip., cui consonat text. in cap. cum Iuris peritus de officio, & potestate Iud. de leg. & text. in cap. Porro de Priuileg., ibi Glossa in v. ex inspectione, & Iure. Francesc. in Pastoral. regular. par.*2. *quæst.*2. *n.*1. *a* 13. *& fere per totam.*

uilegia Regularium admittere quousque illa exibuerint, aliud verò illa admittere non posse, nisi post integram probationem. Primum est id quod tradit *Francesc.*, & probant *Textus* adducti, *& præsertim cap. cum iuris peritus* ibi = *nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris exequi non ceperis quod mandatur*. Quæ Verba ponderans Abbas ibi *n.4. de Communi doctorum*, ait quod si Ordinarius non curat certificari de mandato potest exequi, quum nondicat textus non potest exequi, sed non cogitur. Idem pariter firmat, & non aliter relatum a *Francesc.* Sac. Conc. Congregationis decretum ab Innocentio X. confirmatum de anno 1648. vbi (1) dicitur Ordinarios non teneri huiusmodi assertioni fidem habere absque integrali priuilegiorū exhibitione (quod est secundū membrum distinctionis supra allatæ,) vnde allegata iura non probant, quod Episcopi tuta conscientia non possint iuxta regularium indulta operari, nisi plenam eorundem priuilegiorum probationem exegerint, quod est id quod nobis obijciebatur, nec hoc laudatus *Francesc.* vno nequidem verbo indicauit (nisi fortè in casu quod priuilegij, vel rescripti certam habere notitiam non possint alia via Episcopi, quo sensu loqui videntur Imperatores (2) vbi dicitur, *si quis asserat cum mandatis nostris secretis se venisse*, & Pontifices *in d. cap.* (3), sed si Episcopus priuatim, & aliunde priuilegiorum quantumuis Iuri communi contrariorum habeat scientiam illorum, posse; & vsum permittere, & iuxta illa operari, non est ambigendum. Cuius ratio est quia notitia sufficiens ipsi priuilegiato, vt licitè possit vti suo priuilegio, eadem per se sufficit alijs, ne illius vsum impediant vt docet (4), vt verò quilibet priuilegio suo licite possit vti, satis est, vel quod ipse sciat priuilegium habere (5), vel quod priuilegium viderit signatum alicuius prælati manu, vel Notarij, vel Generalis Ordinis sigillo munitum, vt ex Indulto Leonis X., & Iulij II. docent (6) vel tandem, quod priuilegium typis excussum legerit, siue in simplici Papyro, siue insertum Bullario aliquo, aut probati ali-

(1) *Tondut. de preuen. par.3. cap.3. num.3. Passerin. de stat. hom. tom.2. quæst.187. art.1. num.163. Bullar. tom.5. pag.498.*

(2) *L.1.C.de Mandat.princip.*

(3) *In cap. cum Iureperit., & citato cap. Porrò de priuileg., & cap. cum personæ eodem tit. in 6.*

(4) *Castropala tom.3.disp.4.punct.3.§.2.n.1.*

(5) *Abbas in Clement. dudum propè fin. de Sepul. Felin. cons.6. n.3.*

(6) *Io. de la Cruz lib.2. cap.1. dub.2. concl.3. Nauarrus cons.1. de Priuileg. Bordonus tom.2. resol.52. n.52. Portell. de dub. regul. v. Priuileg. num.3. Ant. à Spiritu Sancto tom.1. direct. regular. disp.1. sect.1. num.3.*

aliciuis auctoris libro, vt probat. (1). Quocunque igitur ex his modis certior factus Episcopus de priuilegijs regularium, potest illorum vsum tuta conscientia permittere, & iuxta illorum tenorem licitè operari, quin ab ea exhibenda regulares cogere teneantur, etenim in foro Conscientiæ in quo non agitur de præstanda gratia, rei tantum veritas attenditur, non positiui iuris rigor (2).

Resp. secundo. Non teneri Episcopos, qui versantur in hoc dubio cogere Regulares ad sua priuilegia exhibenda, quia ex proximè dictis vt dubium excutiant sufficit vt quocumque alio modo certiorentur, & dubium excutiant, Sac. enim Congregatio non aliud velle videtur, quam hæsitatione illa siue dubio perseuerante à Sac. Ordinum collatione abstineant, quæ cum sit ratio prohibitionis, attendenda est, potius quam verba (3) quia dictum per rationem explicatur (4).

Respondetur etiam ad 5. Argumentum, quod si laudata Sac. Congregationis responsa aliquam vim præceptiuam continent, non extenditur nisi tantum ad illos duos Antistites Senensem, & Assisiensem, quibus missa fuerant, vt enim decretum pro vno casu determinando emanatum, omnes alios qui sub eadem ratione continentur, comprehendat, debet esse verbis generalibus conceptum vt innuit (5), quia si non generalibus, sed particularibus verbis conceptum fuerit, habet rationem legis priuatæ, quæ particularibus tantum personis indicitur, quæque ob rationis identitatem ad alios, præterquam ad eos, quibus sancita est non extenditur vt (6). Quum ergo, de quibus loquimur, decreta, non generalibus verbis, sed particularibus decreta sint, nempe *scribatur Episcopo quod abstineat*, non incongruè deduci potest eam vim habuisse ligandi solum prænominatos præsules, & non alios.

Quæ

---

(1) *Bordon. Cit. & Rota instatel. de Salu. interdic. decis.*103. *n.*10., *testat. Naldus v. priuileg. n.*6.

(2) *Cap. inquisition. de sent. excom. Innocent. in cap. plerique de immunit. Eccl., & in cap. quia propter de elect. cons.*6.*n.*3.

(3) *L. cum præter §. dulciss. ff. delegat. n.*2. *l. si scires §. aliud ff. de excusat. tutor. Martin. Socein. cons.*35.*col.*2. *vers. Quamuis lib.*1. *quam refert Fusc. Lit. R. cons.*31,*n.*16. *Menoch. cons.*998.*n.*13.

(4) *L. vnum ex famil. §. fin. ff. de legat.*2. *l. si is qui anim. ff. acquirend. possess. Iason. in l. id quod n.*7. *ff. delegat.*1. *Surd. cons.*67.*n.*20. *Rota decis.*10,*n.*2. *apud Farinac. p.*1,*n.*1. *rec.*

(5) *Rota Roman. pension. cor. Em. Priolo post Monacell. tom.*2. *decis.*30.*n.*5. *ver. talis autem.*

(68) *Can. hinc est* 39. *ver. quod priuil.*17. *quæst.*1., *& Can. non exemplo* 26. *q.*2. *Gonzalez in cap.*9. *de Priuil. n.*6. *Salas, Suarez, Bonaccina alijs citatis Castropala tom.*3. *disp.*3. *punct.*13.*n.*1.

Quæ omnia vt vberius explicem, & obiectionem hinc nascentem præfocem; Animaduerto aliud esse loqui de præcepto iuris naturalis, quo prohibemur in dubio aliquod contra ius commune operari, aliud verò loqui de præcepto humano, quo Sacra Congregatio Præsulibus Senensi, & Assisiensi iussit ab Ordinum collatione, præfato stante dubio, abstinere; primò obligantur quidem omnes, eoque vniuersim, ante prædictorum etiam decretorum emanationem, Ordines in dubio non conferre contra communis iuris dispositionem. Secundò autem, dato quod prædictis responsis vis præceptiua insit, nisi dictos Præsules ligari censeo rationis identitate non obstante, vt probaui.

Dices ex *Fagnano* (1) Sacræ Congregationis decreta pro declaratione, & interpretatione Concilij emanata, etiam ad consultationem Episcoporum in aliquo speciali casu, eadem vi prætendunt obligare ac Concilium ipsum, ergo à pari responso Sacræ Congregationis Concilij ad Præsules præfatos data, omnes obligat.

Respondetur. Disparem esse rationem, nam decreta, de quibus *Fagnanus*, declaratiua, & Sacri Concilij interpretatiua sunt veluti Concilij meus, vt eleganter, & neruosè probat *idem Fagnanus num.14. & sequen.*, vnde non sunt quid diuersum à Concilio, vnde non mirum si tam latè suam obligandi vim prætendant ac ipsum Concilium, licèt ad consultationem aliquorum Episcoporum in speciali casu, vt affirmat (2) *Rota* enim ibi, vt ostendat Generale ibi esse decretum, de quo ibi est sermo, eam reddit rationem, quod Sacra Congregatio illud pronunciauerit explicando sensum Conciliaris dispositionis *in cap.13. sess.24. de Reformat.* In nostro casu est dispar ratio; nam decreta, de quibus loquimur, ab articuli decisione penitùs cum abstineant, nullam Concilij declarationem continent, sed Responsum verbis particularibus conceptum, ad quod mitten. Senensi primum, & Assisiensi deinde Antistiti mota est Sacra Congregatio, vt dubitantibus de prædicto Priuilegio inculcaret obseruantiam naturalis præcepti, quo cauetur in dubio non esse contra ius commune operandum, cuius generis rescripta vim vniuersalis legis non habere docent (3)

COROLLARIVM.

Si iamdiù concessa priuilegia Ordinationis extra Tempora Regularibus, Conciliorum aduersa manu, & Pontificum constitutionibus

---

(1) *Fagnan. in cap. Quoniam n.66. de Constitut.*

(2) *Rota in Romana pensionis.*

(3) *Suarez 3. de legib. cap.15, Castropalao tom.3. de leg. disp.1. vnct.8. num.6.*

bus perculſa corruiſſent, ſi eadem vni Ordini conceſſa via communicationis ad cæteros non refluerent, ac redundarent. Si demum Sacræ Congregationis Concilij præcepto extra definita Tempora Ordines Sacros Regularibus conferre Epiſcopi prohiberentur, quis quæſo eſſet illorum qui, quod priuilegia indulgent exequi vellet, ac non potius ab iis penitùs abhorreret? Et tamen id paſſim feciſſe, non modò ſapientiſſimos, verùm etiam ſanctiſſimos, & eximiæ vitæ tam multos Præſules ſcio, vt cumulatim certè ſi vellem poſſem numerum percenſere. Sufficiat pro nunc illud Religionis, ac pietatis, virtutumque omnium exemplar Eñus Cardinalis Sanuitalius, Archiepiſcopus olim Vrbinas, qui, & dum Florentiæ Apoſtolici Nuncij mûnere fungeretur, plurimos Regulares extra Tempora vi ſuorum priuilegiorum Ordinibus initiauit. Ita & fel. recordat. Fr. Iulius Vincentius Gentilis Ord. Prædicatorum Archiepiſcopus Ianuenſis integritate, & doctrina præditus, & Sanctiſſimis Alexandro VII., & Innocentio XII. ſatis notus. Ita D. Roncouerius Placentinus Iuliæ fidentiæ Epiſcopus, & D. Vialardus Cler. Regularis Mantuæ Epiſcopus, & hii omnes vita functi. E' viuis vero D. Miſcerolus ſcientia zelo, & pietate conſpicuus. Brictinoris Epiſcopus D. Cochonati Caſalis S. Euaſij Antiſtes, nec non D. Manara Clericus Regularis Epiſcopus Bobienſis, ſed pro omnibus ſtat Sanctiſſimus D. Noſter Benedictus XIII., qui à quinquaginta jam annis ordinatus Archiepiſcopus non vnum aut alterum, ſed quotquot ad eum iuſta de cauſa conuolabant Regulares, promouere ad Sac. Ordines extrà tempora non verebatur, nixus eorum priuilegijs: Imò in litteris teſtimonialibus, ſuſcepti Ordinis à Regulari extrà tempora (licet Ordinatus nullum afferret peculiare breue diſpenſationis ſuper extrà tempora), apponebantur hæc verba *cum diſpenſatione Apoſtolica ſuper extrà tempora*; quia ex vi priuilegiorum regularium, Ordines conferrebat. Idem exequuntur alij Præſules, tam Sæculares, quàm Regulares, tam intra, quàm extrà Italiam, quorum nomen & memoria, & tempus non ſinit recenſere. Corrolarium hoc pro aſſerto, propugnatoque à me Priuilegio confirmando plurimum facere ſpero, niſi quis hominum Sapientiſſimos, & Sanctiſſimos, aut ignorantes, aut impios velit, quod abſit nec excogitare. Interim Diſſertationem hanc humiliter ſubmitto iudicio quorumcumque meliora in contrarium ſentientium.